



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptura, Et Vera Catholica
Doctrina, Atque Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Quid controuersiæ sit hac in re inter Ecclesias Christi, & earum
Aduersarios 99

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

*Quid versetur in controuersia inter Ecclesias Christi
& earum Aduersarios.*

CAP. XCIX.

ROBE nouerunt Christiani, solique ipsi id rectè exercent, nempe quod ad S. Cœnam & in omnibus sacris cœtibus fieri debeant deprecationes, obsecrationes, interpellationes & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, vt D. Paulus docet 1. Timoth. 2. Huic verò reluctantur, quod homines persuadentur, & in falsa persuasione hærentes relinquuntur, quasi oratio, & gratiarum actio, quam sacerdos facit in Missa sine vlllo intellectu populi, nonnunquam etiam sui ipsius aliis hominibus profit, etiamsi illi pro se ipsis nec orent nec gratias agant, sed contrariam Christo Domino & contumeliosam vitam degant, quemadmodum manifestè cernitur in plurimis etiam diligentissimis Missarum auditoribus.

Hoc antiquum est & perpetuum fidelium ministrorum veræ religionis ac cultus contra falsos perfidosque confictæ religionis nundinatores certamen, id quod omnes Prophetæ, Christus Dominus ipse, Apostoli, & omnes missi fidelisque ministri Christi à seculo testati sunt.

Nempe quod legitimi veræ religionis ac cultus administri omnes supplicationes, omnia sacrificia exercitiâque Ecclesiæ eò dirigant, vt omnium quidem salus quæratur, pro omnibus oretur, & offeratur, fidelissimè verò etiam doceant, hortentur & instent, vt singuli per propriam fidem eorum se participes reddant. Falsi verò confictæ religionis ac cultus ministri parum curant, cuiusmodi fidem aut pœnitentiam homines habeant: modò externum suum ministerium orationes & sacrificia magni faciant, & largiter persoluant, quo & ipsi plus honorum, facultatum, & voluptatum huius mundi habeant.

Deinde etiam in eo consistit tota de missa controuersia. Veri ministri Christi orant quidem & gratias agunt pro omnibus hominibus: Orant vt Dominus propitius esse velit, dareque per mortem dilecti Filij sui omnibus hominibus, præsentibus & absentibus, malis quoque & improbis, vt ad eum se conuertant, defunctis verò largiri latam resurrectionem. Id verò hac ratione faciunt, vt omnem præsentem populum diligentissimè excitent, hortentur & impellant, vt vera pœnitentia peccatorum, firmâque ac solida fide simul preces & gratias agat, sacrificiûmque Christi & beatam eius communionem in sacramentis ex animo petat, percipiat, sibi que applicet. Omnia igitur in lingua populo probè intellecta peragunt, summa cum religione & grauitate sacramenta dispensant, serioque testantur omnes eos reos

fieri corporis & sanguinis Domini, qui huic actioni tantummodo interfunt, sine vera poenitentia peccatorum ac stabili fide in Christum, quæ per dilectionem efficax sit ad omne opus bonum: denique quantum in ipsis positum est, nullos qui in confessis peccatis hærent, huic sacro officio interesse patiuntur, quod etiam ferium est mandatum Domini, & à veteri ecclesia fidelissimè obseruatum.

Quid verò faciunt falsi Missarum mundinatores? Missas faciunt prout ab ipsis ratione præbendarum requirantur, vel pecuniâ, aut alio lucro redimuntur, vel prout alioquin per eas honorem, fauorem & pecunias se acquisituros sperant; de poenitentia & fide nihil curantes.

Illi enim ipsi maxima ex parte in manifesta Simonia, scortatione, aliisque sceleribus & flagitiis hærent. Qui verò liberales sunt in offerendo, vel eos propter missas in magno precio habent, hi accommodi sunt idoneique missarum auditores: hos fidere faciunt externo tantum opere, securosque in omnibus peccatis & horrendo diuinæ maiestatis contemptu reddunt. Vnde postea in missis suis peregrina & ignota lingua omnia & dicunt & faciunt, idque ludicra & impia festinatione ac confusione: pro opulentis plures magisque solennes missas faciunt, quàm pro pauperibus: aureas & id genus alias præstigiosas missas comminiscuntur, nihilque est ex omnibus idololatricis abominationibus, quas vnquam Propheta in antiquis falsis sacerdotibus & idololatriis redarguerunt, quod non in eorum missis reperiatur. Hoc nimis proli dolor manifestum est, & contra hoc solum pugnant Christianæ Ecclesiæ, & fideles earum ministri. Facile igitur conici potest, quid Aduersarij quarant, dum in abominationibus istis facandis, & ornandis tantum laboris & operæ impendunt: interim verò ne vnum quidem abusum fatentur aut corrigere student.

Hactenus de controuersia Applicationis Missæ.

In quo Aduersarij Christianos doctores iuste aut iniuste accusent.

CAP. C.



PRIMUM omnium taxant id quod in Christianis Ecclesiis docetur, Christum sacrosanctam ceremoniam suæ Cœnæ instituisse tantum in vsum & profectum singulorum astantium, præsertim eorum qui sacramentis communicant.

Quem